RICHARDI PAULI JODRELL

LUSUS POETICI JUVENILES,

QUOS OLIM ALUMNUS

SCHOLÆ ETONENSIS

CONSCRIPSIT.

BRITISH MUSEUM

LUSUS POETICI.

N° I.

Βάλε φέγγος
Ἠριγενὴς, κίνυντο δ' ἀνὰ πολίεθρον ἕκαστοι.
Apoll. Argon. l. 3. v. 823.

CUM crocea Oceani latebras Aurora relinquit
Vecta triumphanti curru, roſeiſque quadrigis
Auratam ſpargit lucem, perque æthera vibrat
Fulgentes radios, recreans animalia viſu,
En! Vates nidum agreſtem parvoſque penates
Deſerit, aſſurgens ſub primi luminis ortus.
Hunc ſylvæ monteſque juvant et roſcida prata,

Dum numeros molli gaudet reſonare cicutâ,
Imbelliſve lyræ modulamina ducere plectro:
Nunc ſolus viridi projectus conſidet ulvâ
Ad ripam reboantis aquæ, nunc vertice collis
Frondoſo, dum multa canens incondita lætus
Ludit, Apollineum muſâ fallente laborem.
Undique circumdant comitem varia agmina ruris:
Quiſque ſuum peragit munus; diſcrimina mille
Se vocum adjungunt; viduatus compare plorat
Turtur, et innuptæ recinunt lamenta Palumbes,
Dum variat carmen cœlo ſublimis Alauda!
Hìc caput attollens regali culmine nutat
Pinus, odoriferis hìc ſibilat aura cupreſſis.
Inque ſinu irriguæ vallis balatibus Agni
Tondentes cytiſum carpunt, aut ubera matrum
Lactea ſugentes ludunt ſaliuntque per herbam:
Nec procul hinc ſcatebras rumpens, atque incita curſu
Pura coloratos interſtrepit unda lapillos.
Sic Vates te dulce canens te, Phœbe, ſalutat,
Verbaque reſpondens ad ſidera perſonat Echo.

Non ita quà celſæ Londini cardine portæ
Ærato ſtrident; radiis Aurora refulget
Illic diſſimili vultu, diverſaque rerum
Apparet facies; non illic lumine puro
Sol nitet, at nebulæ obſcurant caligine cœlum,
Creberque agglomerans fumus fornacibus atris.
Non illic regnant veneranda ſilentia ruris,
Quæ ſomnum invitant, ſed perſtrepit æreus axis
Stridenti curru, et cruciatas vulnerat aures.
Quin flamma accendens turres et templa Deorum
Vulcano ſuperante furit; miſerabilis unà
Auditur gemitus, reſonatque ululatibus æther:
Perque viam æratâ nebulones compede vincti,
Ut ſimul advenit fatali lumine Titan,
Ordine ducuntur meritas expendere pœnas
In cruce quos juſſit legum ſententia vindex.
Hìc et plauſtra gemunt ſub iniquo pondere, ligna
Machina dum volvit, torvuſque auriga caballos
Verberibus ſtimulans ſibi iter per compita poſcit,
Vix caput oppreſſum attollens et lumina ſomno:

Cui mento obſcœnus ſqualor prolixaque barba
Dependet, vultuque riget ſæviſſimus horror.
Nititur hìc contrà funus lictoribus atris
Rumpere iter, vitâ defunctum ferre cadaver
Ad tumulum properans, diro ſpectacula viſu.
At jam panduntur portæ vileſque tabernæ,
Seque operi accingunt omnes: caupona pateſcit,
Ut cruſta exhibeat populo dulceſque placentas.
Ecce Anus aſſurgit rugoſo marcida vultu,
Incomptiſque comis, jamque horrida tecta relinquens
Fœtida pauperibus per vicos oſtrea vendit:
Dum titubans greſſu graviterque Maritus anhelans,
Cui nimis heſternâ maduerunt tempora vappâ,
Horriſonâ tuſſi tandem vomit ore, ſuique
Nunc impos procumbit humi, facieſque figuris
Torquetur variis rideturque omnibus: Alter
E lecto ſurgens tondet lanugine barbam:
Proximus huic alter pullos atque ova popello
Vendit, et extollit ſua mercenaria dona.
Hìc Mulier ſimulans greſſum molitur anilem,

Informi vultu membris lachrymiſque coactis,
Scrutaturque viâ cineres ſemeſaque fruſta
Colligere, et ſupplex oboli munuſcula parva
Prætereunte rogat populo, jam callida multâ
Fraude dolos verſare, aut turpi vivere rapto.
Hìc miſeri Infantes in primo limine vitæ,
Effundunt gemitus (ah! præſcia ſigna dolorum!)
Marceſcit facies, cava lumina, pallor in ore.
Hæ ſunt deliciæ Londini, ubi lutea ſurgit
Aurora; hoc turpi viſu ſunt mille figuræ.

N° II.

Quis enim modus adsit amori?

Virg. Ecl. 2. v. 68.

DÆDALA Naturæ genetrix et sola voluptas,
Dulce tuum regnum porrigis alma Venus.
Quacunque incedis, sequitur captivus Amator,
Militat et castris, O Cytherea, tuis.
Per mare, per terram, et cœlestia sidera mundi
Jupiter imponit jura, Venusque Jovi.
Quin ipsum Martem, qui torquet fulmina belli,
Cætera qui solitus vincere, vincit Amor:
Continuòque avidis ubi fervet flamma medullis,
Cedit, et agnoscit dulcia furta Deæ.
Quid Vir? nequicquam mentem durissima cautes
Asperat, atque imo corde repôsta silex:

Nequicquam pectus gerit inviolabile bello,
Certius infigit vulnus inermis Amor.
Teſtis erit Lappo vivens Borealibus arvis,
Quà dira hyberno frigore bruma riget.
Huic Veneris ſolo cor eſt penetrabile telo,
Et quamvis frigent cætera, fervet amor.
O quoties gaudet curru ſubjungere damas,
Libet Hyperboreæ ut mellea labra Chloes!
Si tardet currum ſæviſſima cruſta ruentem,
Diſſilit admiſſis nix tepefacta rotis.
Utcunque alipedes damæ prævertere ventos
In curſu valeant, increpat uſque moras:
"I fuge, vel Boreæ vel fulminis ocyor alis,
"Heu malè deliciis invidioſe meis!
"Depeream, dominæ ni protinus ora videbo,
"Sic ſic continuo lampade torret amor."
Increpitat, curruque ſimul nivis æquora verrit,
Nec mora dilectæ conſpicit ora Chloes.

N° III.

Ὁδῷ ἐπὶ οἰκία ναίων.

Hom. Il. 6. v. 15.

TANDEM officinam et vinĉla mercenaria
Jam ſenior et firmus parum
Relinquit Alphius, ut fruatur otio
Cum dignitate ruſticus *:
Ergò caballum, cui nec oculi nec pedes,
Qui fracta ducit ilia,
Curru vetuſto jungit, et juxtà ſedent
Et Uxor et Marcellulus.

---

* Vide poema ſcriptum a Roberto Lloyd, & vocatum Anglicè, *The Cit's Country Box*, Inter opera ejus tom. 1. p. 41. Ed. 1777: Hoc etiam inſeritur in libro vocato Anglicè *Connoiſſeur*, tom. 4. N° 135.

Cum mille vix proceſſerant paſſus, nitor
Utrumque ruris percutit:
Non ceſſat importunus hic ſpirabilem
Mirarier Favonium,
Cœlum, viamque; laudat Uxor narium
Lilia, roſaſque, copiam.
Nec mora, penates Fœnerator ſordidos
Ruris receſſu collocat;
Viamque juxtà, quà diurna munera
Commune plauſtrum conficit,
Foreſque commodiſſimè præterfugit,
Et Uxor et Vir aſſidet.
Jam ſe beatum rure clamans Alphius
Nidum ſuburbanum fovet:
Texitque, murum ſubruens, repagula
Ritu novo Sinenſia.
Cadit bipenni pinus occludens viam,
Et ſcena rerum panditur.
Non hìc ſuſurro lympha leni murmurat,
Non aura per ſylvas ſtrepens

Suadet quietem; currus at prætervolans
Hìc ſtridet axe fervido;
Equique vicus verberatus ungulis
Secura rumpit ſomnia.
Non hìc volucres, ruris incolæ, nemus
Dulci querelâ perſonant;
At piſcium tritæque veſtis venditor
Clamoſus obſidet fores.
Non hìc obumbrat ſpiſſa quercus aream,
Sed villa nube pulveris
Nigreſcit, et rotantibus fumus novum
Obſcurat atrium globis.
Non hìc per hortos vel Diana cernitur
Redimita frontem floribus;
Nec cum recurvâ falce Sylvanus ferens
Opima ruris munera:
Aſt hìc locantur plurimi Cupidines
Arcu vibrantes ſpicula;
Veneriſque Adonis annuens amoribus
Et indecoræ Gratiæ.

Ruris lateſcit Alphius ſic nidulo,
Fruiturque ſolitudine,
Niſi cum tribules hoſpites ſtipant focum,
Malè feriati Sabbato *.

* Hoc carmen compoſuit Auctor ſeptimo die menſis Julii, anno Domini 1763, & anno decimo ſeptimo ætatis ſuæ. Secundùm Inſtitutum Scholæ Etonenſis a Præpoſito Collegii ludendi veniam impetravit.

N° IV.

Quouſque humi defixa tua mens erit?
Nonne aſpicis quæ in templa veneris?

Cicero ex Somnio Scipionis.

QUALIS, ubi cœcis terræ informata medullis
Pulvereo nebulæ ſqualens veſtitur amictu,
Ignotas abſcondit opes ingloria gemma;
Artificis dextræ tandem confeſſa labores
Exuit hirſutos vultus, et ſplendet in auras
Fulgenti radio nativâ luce coruſcans:
Sic mens e cœlo, divinæ ſpiritus auræ,
Ignea deſcendens, tardoſque infuſa per artus
Vix imbecillo ſcintillas lumine vibrat:

At mox corporeo reſoluta e carcere victrix
Surgit ovans lethi, et longo indefeſſa volatu
Emicat exultans, patriumque reviſit Olympum.
Felices animæ, quas non caligine ſenſus
Mortales hebetant, queîs purum cernere lumen
Sors datur, atque Dei coram cognoſcere vultus!
Solicitent homines vanæ ludibria vitæ,
Et vaſtos volvant ſub inani pectore fluctus
Curarum, magnumque nihil ſub imagine falſâ
Eluſi captent: vos omni labe carentes,
Vos immortales animæ, nec purpura regum
Picta movet, nec ſceptra movent, trabeâque tyrannus
Auratâ rutilans, ſolioque inſignis eburno:
Scilicet hæc captent morituri: vos, quibus ævum
Æternum eſt, majora juvant, ſemperque beati
Deſpicitis terram ſtellato e vertice cœli.
At Sophus exclamat, mortali mole relictâ
Æthereas animas circumvolitare domorum
Limina cuſtodes cæcâ ſub imagine Sylphæ.
Quiſquis es egregiam verò das optime laudem,

Digna miniſteria, ut campos ſit cura tueri,
Quos nuper liquere, animis, tandemque ſolutis
Membrorum vinc̃lis ad corpora velle reverti.
An miles, quem ſceptra tenent prædura tyranni
Carceris occultum gremio, tenebriſque gementem
Obſcuris, ſi forte redit laxatus in auras,
Solis et agnoſcit radios, cum dulcia nati
Oſcula præripiunt, uxorque amplectitur ulnis,
Jam libertatis ſperatæ gaudia demens
Reſpuit, et tantos fugit importunus amores,
Seque volens iterum clauſtro noctique remittit?
O quis magne Plato vel te Newtone relicto
Æthere, quà coram fas eſt agnoſcere numen,
Collucenſque jubar, præſentiaque aſtra videre,
Quæ modo finxiſti per inania nubila mentis
Humanæ, ad fines iterum deſcendere terræ
Te putet, et priſcis innectere membra catenis,
Sive miniſterio Sylphas telluris alumnos
Tutari, aerioque ſupervolitare meatu?
Scilicet is Superis labor eſt, cum libera vinc̃lo

Mens fugit ad cœlum, cognataque ſidera tangit.
Quis linquet dulces divino nectare ſuccos,
Fonticulum ut libet, qui ſerpens ſimplice rivo
Ruricolis Nymphiſque dedit mortalibus undam?
Quiſve ſaporatas ſacro medicamine fruges,
Ambroſiaſque dapes, ut carpat pabula terræ?
Quis ſpernens numeros cœli, quos ordine reddunt
Sphærarum curſus, cum circumvolvitur orbis,
Æternumque melos conjungunt atria mundi,
Deſuper adveniat Muſæum audire canentem,
Pulſantemve lyræ ſeptenas Orphea chordas?
An qui conſpectu fruitur propiore diei,
Et ſuper ardentem perſentit currere ſolem,
Vitales radios linquet notumque calorem,
Migret ut in Scythiæ campos, quà frigore duro
Urit Hyperboreas glacies ſæviſſimus æther?
Eia age ſacratos gaudens penetrare receſſus
Sublimem meditare fugam, teque inſere cœlo
O felix anima! hìc habitat pulcherrima Virtus,
Pura Fides, ſecurus Honos, æternaque Vita.

N° V.

Μὴ σφῶϊν ἐλεγχείην καταχεύῃ
Αἰθη, θῆλυς ἐοῦσα.

Hom. Il. 23. v. 409.

NON renuit Phyllis longos abſcindere crines,
Qui Bereniceos vel ſuperare valent,
Dum præbent jaculo amentum, quod torquet Amator;
Cætera cum deſint lora, capillus adeſt.
Nec ſatis hoc cauſas lethi præbere puellæ,
Ipſa ſuum infigit vulnus, et arma rotat.
Aſpice, ut ardentis ſæviſſima tormina ferri
Gaudet Amazonidum maſcula nympha pati!
Hinc mox exertæ ſubnectens cingula mammæ
Lunatis peltis Pentheſilea ruit.

Jamque ſuas ducens turmas in utrumque paratur
Vel ſuperare viros, vel generoſa mori.
I nunc imbellis ſortiri munera lanæ
Serica fœmineâ ſtamina carpe colo!
I nunc, et nymphas inter nocturnaque bella
Ignavo dormi, Sardanapale, toro!
Tu calathum tractas, quem martia temnit Amazon,
Tu vir, quæ vibrat tela puella, times.
Sic inter medias cædes pharetrata Camilla
Spicula contorquens agmina fundit humo.
Fortiter ut vixit, fortis cadit: "Effuge Turno,
"Succedat pugnis, effuge chara ſoror!"
Non hæc implorat per ſpem ſurgentis Iuli;
Nymphæ Turnus obit morte, Camilla viri.
I genua amplectens ſervi, captive, tyranno,
Vel trahe victrices conſpiciende rotas,
Dum terit exultans curru tua colla Seſoſtris,
Teque ſuo (O magnum dedecus!) aptat equo!
Non ita ſolicitat domini Cleopatra catenam,
Audens Cæſareas ſpernere morte minas.

Haud humilis mulier, ſerpente ferocior ipſo,
Aſpide lethiferâ pectus inerme ferit.
Quin etiam Britonas proſtravit Gallica Virgo,
Dum fulmen belli dira Pucella donat:
Quos nec Agincurti potuerunt vincere campi,
Funere non acies Creſſa, puella domat.
Fœmina palantes turmas agit? O ubi virtus,
O ubi qui debet maſculus eſſe vigor?
Galligenûm heroes dum cedunt, unica Virgo
Sævit, et amiſſas Gallia jactat opes.
Prô ſcelus infandum! neque enim victoria laudi eſt,
Si cadat Angliaco Gallica Nympha viro.

N°. VI.

Nitidam geſtare amet agnam.

Hor. Sat. l. 2, 3. v. 214.

PUELLA ad CATELLUM.

O Tu deliciæ meæ, Catelle,
Quæ te pingit amabilis juventus,
Quæ ludit Venus in tuis capillis?
Vitâ charior es meâ, daboque
Jâm centum tibi baſiationes,
Quas fruſtrà juvenes petunt habere.
Fruſtrà, nam tua ſunt labella melle
Hyblæo potiora; tu fidelis
Es cuſtos mihi; læta perſequaris
Tu veſtigia; nocte tu recumbas

Ad lectum dominæ; diem ſalutas
Latratu vigili, meamque lambis
Dextram, quæ tibi delicata menſæ
Pulmentaria donat, ac amoris
Hoc ſignum dedit auream catenam.
Tu juſſu dominæ meam tabellam
Et fers atque refers; venis vocata,
Caudæ mobilitate dum fateris
Suavem lætitiam; fores amicus
Si pulſet, benè fidus ore latras.
Tu ſoli mihi dulcis es Choraules,
Tu ſemper Citharædus, O Catelle.
Quæ reddat tibi dona, vel favore
Quo te Calliope remunerabit?
Ut crines decoret, caputque tergat
Pulchro gauſape, ſerva, mi Catelle,
Eſt Phyllis tua: quo dolore nuper
Ploravi, et quoties metu tremebam,
Cum pulchelle periculoſa fata
Te morbi tenuere! quin potentes

Arceſſi medicos, viamque juſſi
Sterni ſtramine, ne tuam quietem
Rumpant plauſtra; domum perambulare
Et ſervos veto calceis ſonantes.
O tecum moriar! lubens remitto
Vitam te moriente; ſi peribit
Te vivo domina, en meæ, Catelle,
Hoc ſolatiolum necis relinquam:
Supremis tabulis pecunioſum
Tum munus dabo, ne fame labores,
Ne vivens patiare herile juſſum:
Si te prima vocent, Catelle, fata,
Condam lumina, mortuoſque pulchrâ
Artus veſte tegam; ſepulchra magno
Sumptu et marmoreas ſtruam columnas,
Et ſcribam hoc epigramma: "Tu Viator
"Nunc has reliquias vide Catelli!
"Confingens Hera pignus hoc amoris,
"Vivum diligit et gemit ſepultum."

Nº VII.

Agnoſco veteris veſtigia flammæ.

Virg. Æn. 4. v. 24.

HELOISA ABELARDO

EX

EPISTOLA ANGLIACA POPII.

QUA Nox humanæ carpens oblivia vitæ,
Quàque ſepulchrales pandit veneranda receſſus
Religio, quà regna tenent taciturna Dolores,
Cur ardet pectus veſtali emergere clauſtro,
Cur ſubitò antiquas agnoſcunt corda favillas? 5
En! ſuſpirat amor: venit tua litera, venit
Hæc, Abelarde? notam amplectar, lachrymâque perenni
Signabo chartam, quæ nomen ſemper amatum

Ah! fruſtrà renovat; ſed nunc requieſce ſilenti
Impreſſum labro, nec ſacra ſilentia cogens
Rumpere ſecretis accende receſſibus ignem!
O vos immites muri tenebræque verendæ,
Quà luctus ſedem poſuere, attritaque ſaxa
Humanis genibus, deſolatæque cavernæ,
Quas circum accreſcunt ſentes ſpinæque malignæ,
Quamvis dura ſilex, quamvis adamantina cautes
Armavit pectus, nunc te, chariſſime conjux,
Te recolo, vireſque ſuas Natura repoſcit.
Heu benè tu noſti (et nimium meminiſſe neceſſe eſt)
Ut vultus ſincera tuos ſine labe puella
Acceſſi, ſuavem gaudens prætexere culpam
Nomine amicitiæ, gratoque errore vagari.
Ut vidi, ut perii! contemplarique videbar
Immortalem animum delapſum e culmine cœli.
Ardebant radiis oculi fulgentibus, ora
Lambebant veneres, inerat facundia labro.
Dulce miniſterium tua lingua docebat amoris
(Ah quoties!) vetiti, nimiumque ſub auſpice caro

Erravi felix: Hymenæi accendere tædam
Optavit dilectus Amans, ſed ſæpe ſolebam
Exclamare tibi *: " Socialia vincla valete,
" Et vos humanæ leges! vos imprecor: ite,
" Ite procul! Furiis vos trado; compede nullâ
" Liber amor gaudet; connubia fixa Cupido
" Faſtidit, ſpeculanſque catenas ocyor Euro
" Avolat, exultatque in aperto ludere campo.
" Scilicet expectet fortunæ divitis imbrem,
" Et decus et famam legalis ſponſa tyranni:
" Divitiæque, decuſque, et fama repugnat amori.
" Invidet iſte Deus, læſoſque ulciſcitur ignes,
" Inſpirans rabiem, et fatali tabe peredit
" Venales animas lucrantes non ſua dona.
" Si cadat ante pedes proſternens ſeque ſuumque
" Imperium domitor terrarum Cæſar, et ultrò
" Conjugium petat, ipſa negem regina vocari

* Sic Heloïſa in Epiſtola ſuâ: " Ubi & rationes nonnullas, quibus te a " conjugio noſtro infauſtis thalamis revocare conabar, exponere non es de- " dignatus; ſed pleriſque tacitis, quibus amorem conjugio, libertatem vin- " culo præferebam." (Epiſt. 2. p. 42. Ed. 1616.)

" Cæſaris, et vivam felix tua ſemper amica *.
" Nunc, Abelarde, tenes, ſemperque tenebis amorem."
Te ſine Religio ſolatia nulla dolori,
Nec præbent delubra Deûm, ſacrive receſſus;
Sed triſti hoc luco dirus circumvolat horror.
Hìc etiam, gelido quà flore intacta ſuperbit
Caſta Pudicitia, hìc flagrant altaribus ignes
Illicitis, acuitque faces et tela Cupido.
Ah! tantum ſcelus, ah! lachrymis plorare fatebor
Debueram, quamvis non poſſum; dum mea ſupplex
Mens ardet fugere ad cœlum crimenque piare,
Te, mea lux, revoco, te quæro dulcis ocelle.
Dumque perhorreſco ſacrâ formidine, rurſus
Ægreſco, rurſuſque novam ſub pectore flammam
Accendens te ſuave nefas renovare juberem †.

* Sic iterum Heloïſa: " Deum teſtem invoco, ſi me Auguſtus, univerſo " præſidens mundo, matrimonii honore dignaretur, totumque mihi orbem " confirmaret in perpetuo præſidendum, charius mihi et dignius videretur tua " dici meretrix quam illius imperatrix; et ſi uxoris nomen ſanctius ac vali- " dius videtur, dulcius mihi ſemper exſtitit amicæ vocabulum, aut ſi non in- " digneris, concubinæ vel ſcorti." (Epiſt. 2. p. 45.)

† En verba Heloïſæ! " Inter ipſa Miſſarum ſolennia, ubi purior eſſe debet

Interdum ad ſuperos flagrantia lumina tendens
Imploro divos, culpam confeſſa priorem:
Nec mora, continuò ſubiens tua nota figura
Me premit ad terram, et cœlum vaneſcit in auras.
Quam potero delere nefas et amare doloris
Auctorem *, cauſâque caput removere malorum!
Infelix Heloïſa! tuo ſub pectore fervet
Vivus amor, nec adhuc lucem curaſque relinquo,
At linquam; morienti aſtans, fidiſſime amator,
Tu fugientem animam transfer per amœna vireta
Elyſii nemoris fortunataſque cohortes!
O utinam cineres tecum condantur in urnâ,
Et conjuncta tuis requieſcant oſſibus oſſa!

" oratio, obſcœna earum voluptatum fantaſmata ita ſibi penitus miſerrimam
" captivant animam, ut turpitudinibus illis magis quam orationi vacem; quæ
" cum ingemiſcere debeam de commiſſis, ſuſpiro potius de amiſſis." Epiſt. 4. p. 59.)

* Sic ipſa Heloïſa: " Quomodo etiam pœnitentiæ peccatorum dicitur,
" quantacunque ſit corporis afflictio, ſi mens adhuc ipſam peccati retinet vo-
" luntatem, & priſtinis æſtuat deſideriis?" (Epiſt. 4. p. 59.)

N° VIII.

Κεκμακὼς ἀμπαύεσαι.

Theocrit. Idyl. 1. v. 16.

QUA fertur muro cinxiſſe Semiramis urbem,
Culmine ſublimi nutat et altus apex,
En! Cyri imperio ſervit Babylonia pubes,
Servit at Aſſyrio Rex tamen ipſe Jovi.
Belus erat; Belo templum fuit; adſtat imago
Aurea, proque Deo nil niſi forma Dei.
Mane novo ante aram ſternuntur mille juvenci,
Mane pavimentum plurima tingit ovis:
Quinetiam plenis ditiſſima vina lagenis
Certatim invitant æmula labra Dei.

Complures abaci ponuntur et aurea poćla,
Quæque valent oculos, quæque movere gulam.
Solicitant requiem dubiæ poſt tædia cœnæ
Stragula, purpureo veſtis odora toro.
Limen erat, cæcæque fores, poſteſque relicti;
Inque tuis dapibus, Bele, miniſter ovat.
At Rex obſtupuit deluſus imagine veri,
Fertque ſaginato vota refertque Deo.
Numinis horrendam metuit deprendere lucem,
Et templum accedens ſtat retrahitque pedes.
Sed fraudem agnoſcens adituſque per avia templi,
Furtim ſuppoſitæ quà patuere fores,
Conclamat Daniel: " O Beli turpis imago
" Aſpicis hæc? fures eripuere dapem.
" Aſpicis hæc? an te nequicquam horrore timemus?
" Fulmine te monſtra, ſi Deus, eſſe Deum.
" Uſque adeone juvat dormire? hinc excute ſomnum,
" Excute, ni lapis es, Bele, tonaque minis!
" En veſtrum Cives (quæ tanta inſania?) numen!
" Nonne pudet ligno flectere, Cyre, genu?

" Creditis imbelli Divos requieſcere ſomno,
" Sacraque mortali ſternere membra toro?
" Ni vigilet Rector, qui cœlum torqueat, expers
" Conſilio mundi machina mole ruat.
" Aſtra petant pontum, concurrant ſidera lunæ,
" Tartara tellurem volvat ad ima Chaos.
" Creditis ingluviem ventri talem eſſe Jehovæ,
" Æternamque animam ſic ſaturare boves?
" Huic neque defeſſis obrepit ſomnus ocellis,
" Cœleſtique Dei nec placet eſca gulæ.

N° IX.

Nec ſi quid miri faciat Natura, Deos id
Triſtes ex alto cœli demittere tecto.

Hor. Sat. l. 1. 5. v. 214.

TELLUS medullis horruit intimis,
Tethyſque nigro flumine volvitur,
Turmaſque per ſylvas ferarum
Attonitas ſtupefecit horror.
En! duplicatâ noctis imagine
Miſtis tenebris dira ſilentia
Terrent, ut apparet relabi
Triſte Chaos pereunte Phœbo.

At non Britannus contremuit necem
Operta credens bella tumeſcere;
  Vel fæviores fulminanti
    Galligeno metuens ruinas,
Ne tu, Georgi, maxime principum,
Diis inferaris jam novus incola
  Terras relinquens, aut Iulus
    Stella oriens venientis ævi.
Hæc ſigna Solis Cæſare perdito
Terrore vano Roma perhorruit,
  Dum ſempiternam bellicoſi
    Romulidæ timuere noctem.
Hinc Eſquilino culmine Pontifex
Te, Phœbe, jactat vertere Theſſalis
  Circes venenis, vel triformis
    Arte deæ revocare lunam.
At nos Britanni, qui ſequimur ducem,
Newtone, gentis te decus Anglicæ,
  Fixâ revolvi lege mundum
    Novimus imperio Jehovæ.

Quæcunque juſſit fata Deus poli,
Hæc Sol miniſtrat luminis arbiter;
Nec ſumit aut ponit calorem
Arbitrio niſi temperato.
Quod deſtinatum eſt, ſtat; neque Cæſaris
Letho movetur, nec magico valet
Rhombo rotari, ſed perenni
Orbe redit properantis horæ.

N° X.

Gaude, quod ſpectant oculi te mille.

Hor. Epiſt. l. 1. 6. v. 19.

UT flos, qui ſolus deſerto naſcitur agro,
Non oculos paſcit, gremiumve Amaryllidos ornat,
Sed rubet incaſſùm, vanoſque exhalat odores;
Ut latet in terrâ turpi rubigine putris
Gemma, nec artificis dextræ formata labore
Nutat Achæmenii turritâ fronte tyranni,
Aut ambit Stellæ ſtrophio radiante papillas:
Sic viles animæ baratho conduntur in Otî.
Non litui clamor, nec famæ excelſa cupido
Has ſtimulant; at ſemper inops ignobile vulgus

N° XI.

Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas.

Virg. Æn. l. 3. v. 415.

ATTENTUS nugis dum ſomnia mente revolvo,
Sum Medici tecto viſus adeſſe mihi.
Illic ſubtilis judex (mirabile dictu!)
Diſſecuit ferro mortua membra viri:
Scilicet ut partes poſſet penetrare latentes,
Ut cauſas morbi diſcat ab arte Sophus.
In menſâ moles capitum congeſta jacebat;
Undique confuſæ ſtragis acervus erat.

Quid primum exquirat Medicus nunc ſumere neſcit,
Veſteque ſuccinctus ſtat, ſtupet, atque ſilet.
Et quis erit finis, ni forſan ſuccinat alter?
" Hoc primum explora, hoc ſcinde ſenile caput."
Auſpicio annuimus; placuit ſententia; doctam
Incipit en! Medicus rite movere manum.
Ut ſummas aperit ſecretâ fronte latebras,
Protinus inſolitæ defluit humor aquæ.
Mox Medicus vitro penetrans interna cerebro
Quid ſimile aſpexit, materiamque putat.
Longius explorans ſolidum nihil invenit, omne
Aerium; mediâ nil habet arce caput.
Tum verò ardemus mirandas quærere cauſas,
Attoniti ignotâ jam novitate rei.
Hic ſemper veteres nimis ambitioſus amabat
Noſcere, quo lavit Siſyphus ære pedes:
Quod Priami geſtamen erat, quæ marmora Trojæ,
Quæve Helenæ ornârunt ſtragula picta torum:
Quæ contrà Thebas vibravit ſpicula Tydeus;
Quis cordi thorax, Amphiarae, tuo:

Anxius aut quærit regale numiſma Philippi,
Vel ſigna informi dimidiata ſitu.
Venatur Galbam auriculis naſoque carentem,
Et ſacer eſt illi pulverulentus Otho:
Buſtaque, queîs ſolum reſtabat nomen et anni,
Eruit hic latebris, et pretioſa putat:
Calceus et Papæ, dederint cui baſia reges,
Nunc venerabilior ponitur ante lares.
Quæritur hoc lauto veterum cuſtode ſecuris
Sanguine regali, Carole, tincta tuo.
" O mille Anticyris caput inſanabile! clamo,"
Omnia diffugiunt voce ſimulque ſopor.

N° XII.

Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit.

Virg. Æn. 6. v. 37.

UTCUNQUE poſcens ritè Deo poli
Preces verendas Religio ciet,
Altare verbenis refulget,
Templa patent, revocantque numen.
Ædis ſacratæ vel penetralia
Contaminantur nunc grege turpium
Virorum, et auguſtos receſſus
Sacrilegæ tetigere dextræ.

Leni cachinno non benè conſcia
Ridet juventus, et levibus jocis
Heu! more delectans profano
Ante Dei ſimulachra ludit.
Forſan pererrat lumine ſedulo
Chartas nefandas ſcriptaque ludicra;
Libidinoſos aut amores
Concipit in teneris medullis.
Innupta Phyllis non ſine gaudio
Aſpectat agmen ſic juvenum recens,
Blandoque connivens lepore
Sæpe vagum meditatur ictum.
Flabella torquens artifici manu
Obliqua carpit ſolicitum procum;
Aut annuli ſecura lento
In digito malè verſat orbes.
Ah! perpetrâſti, quiſquis es, heu! ſcelus
Vix expiandum; tollere brachia
Ad regna cœli pura debes,
Et precibus celebrare numen.

Cultu profano quòd violas Dei
Templum, ſupremus te Pater aſpicit
Formidoloſè, præparatque
Fulmineam metuendus iram.
An tu gehennæ credis inania
Tormenta demens? quò ſimul advenis,
Devote, te punibit ultrix
Tiſiphone quatiens flagellum.

N° XIII.

Ὁ δὲ ἴεῖο κῦδος ἀρέσθαι
Πηλείδης, λύθρῳ δὲ παλάσσεῖο χεῖρας ἀάπτους.
Hom. Il. 10. v. 503.

INSANI Heroes, quos alto Gloria curru
Turgida conſtrictos rapuit, procul eſte profani!
Quis furor indomitus, quæ cædis dira cupido
Corripuit mentes Naturæ ſolvere legem,
Horrendaſque faces ſcelerati incendere belli? 5
Non tigris tigridi pugnat, non fædera pardi,

Nec conſanguineæ perrumpunt vinĉla leænæ.
At vos O domini rerum, manſueſcere cultu
Quos jubet humano mens, & componere leges
Dulcis amicitiæ, meliora ad munera natos,
Mactatis ferro per mutua vulnera fratres,
Dum ſævam inſpirat rabiem furialis Enyo.
Quæ ſemper nitido ſplendeſcere debet aratro,
Sanguine conſperſam terram fœdatis, et oſſa
Mixta virûm lapides inter ſpectantur in agris.
Ut redit exultans victor, cui fronte corona
Nutat, et effulgent rorantia tempora lauro,
En! captiva cohors manibus poſt terga revinctis
Pone ſequens currum trahitur, dum fervidus axis
Sanguine, dum lachrymis canthi tepet ultimus orbis.
Pectore barbaries an ſic excuſſit amorem,
Ut fortes animas, ſub iniquo marte cadentes,
Non plorent oculi, projectaque corpora campo,
Quæ remanent vel præda lupi rabidive leonis?
Scilicet ut miles ſpectacula vana triumphi
Exhibeat, famâque animum jam paſcat inani.

Num litui pellant curas, num tympana vocem
Naturæ vincant quæ ſic agit? " Improbe Victor
" Cur nimium gaudes veſano Martis amore?
" Avolat en! ſubito tua gloria; tu quoque currum
" Hoſtilem ſequerere, et te nunc tollit in altum,
" Ut lapſu graviore ruas e culmine, Fama.
" Te viduæ damnant ſponſæ, te plurima mater,
" Teque orbus debito nunc infans devovet Orco.

N° XIV.

Ποδῶν ἄρετὴν ἀναφαίνων.

Hom. Il. 20. v. 411.

QUANTA pedi virtus, quæ te per inhoſpita teſqua
Raptat, et Alpinæ tædia, Marce, viæ!
Hinc famâ Danaos inter præfulſit Achilles
Nomine Homereo, quòd viguere pedes.
Ocyor et jaculo, damis, atque ocyor Euro
Avolat, et tradit corpora mille neci.
Quin et Olympiacâ decorantum tempora lauro
Certantes Graiûm vidit Arena pedes!

Hinc bello meruere decus nomenque perenne,
Seu fugere eſt tempus ſpicula, ſive ſequi.
Nec minus illuſtri ſplendet certamine Virgo,
Formâ aliis major, maxima laude pedum.
Multi illam petiere, evicit at illa petentes,
Quêis lætâ thalami pro face funus erat.
Victori conjux ceſſura eſt victa marito;
Si victrix curſu, non potiunda toro.
Heu! mors eſt pretium tardis: O dura puellæ
Conditio! juvenes quid meruere necem?
Tardior in curſu, minus aut formoſa fuiſſes:
Ah! malè veloci convenit alma Venus.
Sed ſpes tanta fuit, vel formæ tanta venuſtas,
Ut nil ſub mortis lege recuſet amor.
" Funera ſolicitas, utinam deſiſtere velles,
" Increpat hæc Virgo, vivere digne Puer!
" Tu fortaſſe alios, ego te, miſerande, domabo:
" Tu ſuperas juvenes, aſt Atalanta viros:
" Ut pereas, non tam videor mihi pulchra puella,
" Et tibi devoto mors Hymenæus erit.

Sic monet incaſſùm, volitatque fugacior Auſtro,
Et cadit infelix ambitioſus Amans.
Hæc medium alipedi poſſet mare radere paſſu,
Nec plantarum apicem tingeret humor aquæ;
Poſſet et illæſæ percurrere culmen ariſtæ,
Dum nutat volucri ſub pede læta Ceres.

N° XV.

Vetat enim dominans ille in nobis
Deus injuſſu hinc nos ſuo demigrare.
Cicero Tuſcul. Quæſt. l. 1. c. 30.

VIVIT ſuperſtes conſecratus gloriæ
Defoſſus heros martio certamine:
At ſempiternam quam meretur lauream,
Quâ laude dignus, quo canendus carmine,
Qui ſpernit hoſtes ſæviores bellicis,
Superatque vitæ victor infortunia?

Quamvis dolorum dura moles ingruit,
Non glorioſum eſt mortis ictu ſimplici
Removere luctum, quiſquis es miſerrime.
Ferire pectus, vinculumve nectere
Lethale collo, vel venenatum necis
Haurire poculum vetant leges Dei.
Utcunque curſu non vales feliciter,
At innocenter terminum contingere
Fas omnibus; cedet dolor patientiæ,
Animuſque conſtans ſibi triumphum arrogat.
Æterna nunquam eſt cura; non hoc carcere
Semper manendum eſt corporis, nobis ſtatim,
Solvens catenam et mentis ægritudines,
Non vi coacta, ſponte ſed mors imminet.
Quæ fortitudo ponderi ſuccumbere
Quod ferre poſſis? lætiore pectore
Id te ſubire, quod citò avolat, decet.
Hæc alta virtus, hæc virilitas tua,
Quâ tu ſolebas gloriari, Stoice,
Rupiſſe vitæ ſtamen, et ferro necem

Properâſſe ſic ſceleſtus imbellis Cato?
Si quanta tellus tota paret Cæſari,
Et ſerviendo conteruntur brachia,
Sedeſque ſubterraneas in carcere
Si forte ploras, vel catenatus jugo
Faſtidioſam triſtis arrogantiam
Sentis tyranni, vita ducenda eſt tibi.
Nam quid dolores te juvat ſuccendere
Flagrantiores vulnere? at licet grave,
Quod ſuſtinendum eſt, ſuſtinere debeas.
Sincera virtus, non levi conterrita
Ictu malorum, ridet infortuniis,
Et barbari Tortoris illudit minis.
Ut fulget aurum fervidis fornacibus,
Sic fortitudo luce ſemper integrâ
Emergit e doloribus formoſior.
O quæ voluptas perpeti, quando manet
Pœnæ beatus exitus! vitam manu
Cum projicis, paratur æternus dolor.
Tu Cæſaris Cato perhorreſcens minas

Ignava ferro percutis præcordia;
Nec vera tali morte ſunt ſolatia,
Nec te juvabunt Tartaro piacula;
At quanta quanta tunc erit mutatio!
Sed qui ferendo fortiter palmam tenet,
Felicitate fruitur in patris ſinu,
Beatus hoſpes aſſidens vero Jovi.

N° XVI.

In Pacem Europæ redditam
Georgii Auſpiciis anno 1763.

HORRENDUM ſonuere tubæ, Mavorſque furentes
Bella ciens immiſit equos, dum concita Tellus
Intremuit motu, conjuratique per orbem
Europæ populi vertere in vulnera vires.
Quot tibi proſtratæ debentur mænibus urbes,
Gallia, vel quanto deplorat Iberia luctu!
At ſatis intepuit campus, ſat flumine rivi

Spumârunt calido: nunc Georgius inclytus armis,
Nec pietate minor, poſtquam dejecit Iberos,
Angliaco poſtquam devicit fulmine Gallos,
Concedit pacem, lauroque adjungit olivam.
Quà Sol flammifero curru roſeiſque quadrigis
Aſpicit Oceanum, quodcunque volubilis Æther
Suſtinet, audivit famam nomenque Britannûm:
Forſan et adveniet luſtris labentibus ætas,
Cum genus Angligenûm & Brunſvicûm ſplendidus ordo
Imperium ſine fine reget; committet habenas
Neptunus pelagi, Tellus quoque ſerviet illis.
Hinc tibi primitias fundit pax, regibus orte
Et reges geniture Puer *; compagibus arctis
Clauduntur belli portæ; Diſcordia demens
Avolat, Alectoque dolens ſe condidit Orco.
Hactenus oſtendit quam ſit metuendus in armis
Georgius, et Britonum quid poſſit bellica virtus.
Vicimus, et victam ſe agnoſcens Gallia pacis

* Georgius Auguſtus Fredericus Princeps Walliæ, natus menſe Auguſto anni 1762.

Prætendit ramum; generoſa Britannia ridens
Accipit, et frondem nectit pacalis olivæ.
Scilicet egregium eſt hoſtes oſtendere nodis
Poſt tergum vinctos; ſed victo parcere virtus
Major, et attingit ſolium cœleſte Deorum.
Non ita militiæ tam diro inſanit amore
Georgius, aſt ingens armis, ingentior almâ
Temperie morum nunc certo pondere lances
Europæ librat juſtiſſimus omnibus idem.
Æthere deſcendet Virtus, jacuere ſepultæ
Quæ modo conſurgent Artes, civilia dona
Georgius inſtituet, monumenta perennia famæ.

N° XVII.

Qui me commôrit (melius non tangere, clamo)
Flebit.

Hor. Sat. 2. 1. v. 46.

QUISQUE ſuum vibrat Naturæ filius enſem,
Et certo ut lædat vulnere, munus habet.
Nos, domini rerum, ſequimur Mavortia caſtra,
Armat et hoſtiles Terror et Ira manus:
Nos conſanguineos infeſti trudimus Orco,
Dum fovet ultrices flamma repôſta faces.
Sic nuper Britonas victores Gallia ſenſit,
Terraque ſubmerſas flevit Ibera rates.
Ah! quoties plorans ſponſum irritâſſe Britannos
In viduo clamat plurima nympha toro!

" Cur movet Angliacos temerarius ille leones,
" Quos meritò accendit juſtus in arma dolor?
" Quos et honor fugere eſt, et quos vitare triumphus,
" Quos ſemper bello laurea palma manet."
Quinetiam iratæ non deſunt tela puellæ,
Vulneribuſque ſuis eſt metuenda Venus.
Teſtis erit qui ſtrictum unguem perſentit amator,
Cum lacerat digito ſæva Corinna genas.
Nunc radio artifici, nunc pectine ſævit eburno,
Et nunc fœmineâ vulnera jactat acu.
Infenſo cornu Taurus dominatur in agro,
Nec ſi quis rabiem movit, inultus abit.
O precor ut liceat non tali occurrere monſtro,
At ſerves vatem ſemper amica Pales!
Quin non innocuo vibrat ſua tela furore
Parva, ſed in parvo corpore fortis, apis.
Si tentet Pholöe latebroſæ pumicis antro
Carpere muniti cerea mella favi,
Ecce venenatâ rabie vetus incola fervet,
Et, volucer Tydeus, morſibus urget apis.

N° XVIII.

Hæ nugæ ſeria ducent
In mala.

Hor. De Art. Poet. v. 452.

FOVET catellum Phyllis innupto ſinu,
Et invidenda baſia
Huic ſæpe donat, ſuaviora melleo
Vel collis Hyblæi favo.
Cuſtos fidelis imminet veſtigio,
Vel fert refertque literas;

Heræve dormientis incubat toro,
Quem fruſtrà amator appetit.
At O Puella quid catellum præferas
Choro juventæ fervido?
Has linque nugas futiles, vocat Venus
Zonam marito ſolvere.
Sed verte lumen, quà ſupremus Jupiter
In monte Tarpeio tonat:
En! ille formidandus Orator ſagum
Lugubre mutat purpuræ.
Quæ nunc doloris cauſa? num pater perit,
Conjux, vel hæres Craſſulus?
Num tela Parthus vibrat, aut Scythæ fremunt,
Vel Dacus aſper fulminat?
Non Roma, princeps urbium, jam nititur
Immobili fundamine?
Hæc altus heros Stoico vel pectore
Leviora poſſet ſpernere.
Nunc ipſe mœror devorat præcordia:
Heu! morte victus mullulus.

Olim magiſter delicatis fruſtulis
Menſæ ſolebat paſcere;
At jam peremptum luget, et nigram togam,
Signum doloris, induit.
Hinc O Puella tu catellum, mullulum
Dum nutrit Orator, fove!

N° XIX.

Ingenium res
Adverſæ nudare ſolent.

Hor. Sat. l. 2. 8. v. 74.

SI jam Saturno vidiſſent rege coloni
Frugiferam nullo poſcente aſſurgere meſſem,
Mellaque ſi quercus ſtillâſſent, nectara rivi,
Nunc etiam ſolito patrum de more nepotes
Arbuteo fœtu legiſſent glandis acervos.
At vetuit torpere gravi ſua regna veterno
Jupiter, & juſſit diſcedere tempora veris

Æterni, renuitque Ceres flaveſcere glebis
Sponte ſuâ, fructuſque ilex mellita removit.
Ceu quondam argenti cruda indigeſtaque moles
Conditur in terrâ, ſed mox comperta labores
Agnoſcit dextræ, nitidoque coruſcat amictu;
Sic prius humanæ mentis caligine merſa
Delituit ratio, propriumque amiſit acumen:
Donec depellens torporem vivida virtus
Ardet inaſſuetas meditando expromere vires.
Hinc ſimul effudit Boreas ſæviſſimus imbres,
Arvaque canebant primis veſtita pruinis,
Inſtituit firmare pedes vir cortice duro,
Induere et frondes teneris velamina membris:
At mox ſtramineo ſurgunt magalia tecto,
Quæ ceſpes velat cannâ concreta paluſtri,
Arceat ut Solis radios ventique rigorem.
Mox & conjungunt fumantes vomere tauros
Agricolæ, flexique exercent robur aratri,
Et furcas & plauſtra parant, queîs ſurgere meſſes
Edomitæ gaudent, iterumque horreſcit in arvis

Solicitata Ceres, cultoque ſuperbit amictu.
Mox certo diſcunt metiri limite campum,
Et ſilicis venis abſtruſam excudere flammam:
Mox laqueis captare feras, & fallere piſces
Inventum, canibuſque altos circumdare ſaltus.
Scilicet ingenium dura infortunia mentis
Exacuunt, aliquiſque malo venit uſus ab illo.
Quis liber felixque unquam libravit in auris
Remigium alarum vel cerâ jungere plumas
Inſtituit? manſiſſet adhuc impervius äer
Humanis pennis, intactaque ſemita cœli.
Quid non exilium, quid non ſæviſſimus horror
Carceris audebit? " Quamvis terræque mariſque
" Poſſidet imperium, non poſſidet æthera Minos.
" Hoc iter eſt nobis, exclamat Dædalus; alas,
" Quas homini Natura negat, tentabimus arte."
Sic Opifex miro compactas ordine pennas
Induit, & tuto fugiens per inane volatu
Carceris evitat tenebras iramque Tyranni.
Nequicquam populi, nequicquam littora terræ

Diſſociant; quamvis ſaxis illiſa reclamant
Æquora, & Hippotades ventos emittit ab antro,
Culmine montano deſcendit pinus in undas,
Et nautæ confeſſa manus ſecura per altum
Invehitur, pelagoque volans decurrit aperto.
Hinc varios fructus ſummittit dædala tellus,
Mutuaque exercent commercia donaque cives
Inter ſe referunt: ſic omnia poſſumus omnes.
Vulnere non parvo trepidans fortiſſimus Indus
Victorem agnoſcit; ſed quo dolor acrior urget,
Acrior incumbit, ſtimuliſque ferocibus ardet
Ingeminare ictus, plagaſque laceſſere plagis:
Vulnere ſic crebro rediviva repullulat Hydra,
Et turbam capitum fœcundo ſumit ab ictu.

N° XX.

Tu nihil invitâ dices faciesve Minervâ.

Hor. de Art. Poet. v. 385.

CUM Phœnix igni se tradidit unicus ales,
Filius exsurgit parturiente rogo;
Et quamvis genitor periit, non deficit hæres,
Miranturque suam sæcula semper avem:
Non ita succedit redivivus funere Vates;
Rara avis est Phœnix, rarior ipse Maro.
O Mons Parnassi, præcelso tramite ducens
Ardue inaccessum culmen in astra poli,

Non te vis penetrat, quamvis dux milite Pœno
Dicitur Alpinas exſuperâſſe nives!
Nequicquam Bavius labefactos promovet artus,
Dum ſpe præſumit culmen, ad ima cadit.
Nequicquam aſſiduo ſtimulatur Pegaſus ictu,
Spernit et indignans fræna remordet equus.
Ah! nimis infelix, cui mente poeticus ardor,
Cui furit inſano corde repôſta lues.
Heu! demens fatum agnoſces, ut Thracius Orpheus,
Cum caput abſciſſum volveret Hebrus aquis.
Nam quid ſtridenti calamo triviſſe labellum,
Quid juvat Aonio reddere vota Jovi,
Ni te fronde novâ puerum texere palumbes,
Ni labrum æthereo melle rigavit apis?
Navita, qui cautes devitat monſtraque Scyllæ,
Conſecrat æquoreo ſeque ratemque Deo;
At tua Muſarum vix præterlapſa Charybdim
Explicat adverſo vela carina mari.
Non hos infames ſcopulos, ubi plurima vatum
Ante oculos periit naufraga cymba, times?

En! pauci, quos ipſe favens dilexit Apollo,
Quos fovit nutrix ipſa Camæna ſinu,
Securi tandem dira Acroceraunia vitant,
Dum ponto immerſit nulla procella ratem.

N° XXI.

Priamus Hectora alloquitur
Ex Homeri Iliade lib. 22, *v.* 38, *&c.*

" INFELIX Hector, nullo comitante tuorum,
" O patri ante alios ſemper chariſſima proles,
" Ne ſolus reſta, nam mors vicina propinquat,
" Quòd te Pelides urget præſtantior heros!
" O utinam hic ſævus Divis non charior eſſet
" Quam Priamo! rabidæve canes vel vultur adunco
" Roſtro artus laceros paſcant avulſaque membra:
" Protinus ex animo terror vaneſcat in auras.
" Nam quot præclaris natis viduaverat orbum
" Iſte ſenem, heu regem! partim hos demiſit ad Orcum,

" Et partim, ut ſervos, longinquis vendidit oris.
" Quin nuſquam apparet ſpectandus in urbe Lycaon,
" Concluſis aliis, nec jam Polydorus, ut ante,
" Quos mihi Laothoe peperit, duo pignora lecti.
" At ſi captivi vivunt, defoſſa talenta
" Aurique argentique, ſenex quæ miſerat Altes,
" Hos pretio redimant; ſed ſi (procul omen abeſto!)
" Tartareas adiere domos, O quanta doloris
" Cauſa manet patri, tibi quanta, miſerrima mater!
" Eſto; luctus erit brevior, populuſque dolebit,
" Non metuat, ſi vivat adhuc fortiſſimus Hector,
" Nec columen regni ſubvertat dirus Achilles:
" Una ſalus patriæ te defenſore manebit.
" At muros intra nunc, dilectiſſime fili,
" Et ſerva Trojam, Pelidæque eripe magnum
" Hoc decus, Hectoreo fixiſſe in pectore ferrum!
" Quinetiam, ſi tangat amor, miſerere parentis
" Longævi, qui ſpirat adhuc e pectore ſano,
" Jupiter infauſto ſenii quem limine perdet.
" O miſerande ſenex! cernam clariſſima quondam

" Corpora natorum fatali morte perempta;
" Cernam etiam centumque nurus, dum barbarus hoſtis
" Raptatis potitur, thalamoſque profanat honeſtos.
" Cernam etiam Infantes, lactenti e pectore matrum
" Direptos, ſæviſque allidi corpora ſaxis.
" Veſtibulum ante ipſum canibus data præda jacebo
" Ipſe ſenex Priamus, cum me crudelis Achilles
" Vulnere confoſſum trudat: Qui fruſtula menſæ
" Nunc lambunt, greſſum aut fidi comitantur herilem,
" Sanguine fædabunt domini crudeliter ora!
" Eſt juveni heröi præclarum occumbere campo;
" Omne adeo eſt illi pulchrum quodcunque ferendum.
" Cum canibus laceranda ſenex eſt præda, cadaver
" Cum jacet exanimum, atque incani pulvere crines
" Turpantur fædo, venerandaque barba Tyranni,
" Dedecus hoc ingens, hæc hæc eſt ſumma malorum."

N° XXII.

Avis Ataviſque potens.

Virg. Æn. l. 7. v. 56.

CONTINUOS longè tendit quà Cambria montes,
Et rudis Alpino culmine nutat apex,
Priſca cavernoſo conſtat fundamine turris :
Quam mirè domino convenit iſte locus !
Tali crediderim Tithonum habitare receſſu,
Vel tali antiquum Deucaliona domo.
Quæ forma eſt muri, vix fas cognoſcere viſu,
Quocunque aſpicias, nil niſi muſcus adeſt.
Non bellator equus, non vacca in montibus errat,
Cuncta caper veteri munera præbet hero.
Hìc domus apparet latis veneranda feneſtris,
Pandit et ingentes aula ſuperba fores :

Picturæ heroum pendent laquearibus altis;
Spirare innumeri forma videtur avi.
Nunc Lluellinus ſe curru oſtentat aheno,
Cui turpi eſt facies dimidiata ſitu:
Nunc ſquallens ferro Rodoricus bellicus aſtat,
Horret et informi Griffius aure minor.
Nec procul hinc pendent conferta tropæa tropæis,
Armaque ſunt armis juncta, tubiſque tubæ.
Hìc enſis, galeæ, & ſcabrâ rubigine thorax,
Et quæ magnanimus tela rotavit avus.
Non hos mutavit muros vitioſa libido,
Nec gemit hæredis vulnere læſa domus.
Atria diverſis non ſunt renovata columnis,
Nec terit aſſiduus ſaxa polita labor.
Aſt eadem ſedes ſemper ſacrata manebit,
Donec Cambriacum velificatur Athos.
Poſt mortem patris ſuccedit ſanguine vero
Natus, et infigit ſigna paterna tholis.
Hinc ſemper magno veneratur amore parentes;
Hinc pura æterno ſtemmate planta viret.

N° XXIII.

Tu quoque magnam
Partem opere in tanto (ſineret dolor) Icare haberes.
Virg. Æn. v. 6. v. 31.

CONDIT ubi Euboïcæ delubrum in litore terræ
Dædalus, artifici dextrâ miſcerē colores
Novit, & egregias formas celebrare tabellâ.
Jam mare velivolum, magnaſque obeuntia terras
Æquora, & errores varios, & lubrica fila,
Ancipiteſque dolos, & inextricabile textum
Exponens animum ſimulachro paſcit inani.
Paſiphaen Taurumque, atque execrabile pignus

Informis thalami diſtinguit: vivere credas
Hoc opus, effulſit tanto pictura decore.
At nondum perfecta operis pars magna manebat,
Cum ſecum hæc genitor: " Tene, O pars optima vitæ,
" Tene hâc inſigni tabulâ, chariſſime fili,
" Omittam? ſed quis tantos depingere caſus,
" Icare, durabit, cui non adamantina cautes
" Armavit pectus, patriumque exemit amorem?
" At tamen experiar, cunctaſque in pectore forti
" Aſſumam vires, animamque in magna vocabo.
" Tuque quieſce dolor, tenerique quieſcite fluctus,
" Dum cedunt paulùm pictori patris amores."
Dixit, & exercens calamum mirâ arte tenaces
Confundit viſcos, fucoque rubentia fila.
At manus intremuit, cum primis tincta figuris
Linea ſubtili ſucco ſimulachra colorat.
Icariam primò frontem, molleſque capillos
Exprimit, & veneres formæ, blandoſque lepores.
Ut ſubitò Genitor perculſus imagine nati
(Heu nimium veri!) agnoſcit veſtigia vultûs

Exſurgit ſub corde dolor, penituſque medullis
Subſedit patriis, guttæque per ora ruebant;
Tandem ceratas depingit arundine pennas;
Et nunc plaudentem juvenem exultare per auras
Fecerat, intrepidumque novo gaudere volatu:
Reſtat adhuc miſeros caſus effingere nati:
En! tremebunda manus nunc concidit; horror ubique
Corripuit mentem attonitam, defluxit arundo,
Et lachrymis pietas exſtinxit protinus artem.

N° XXI.

Cognatique patres, tua terris dídita fama
Conjunxere tibi.

Virg. Æn. 8. v. 133.

In nuptias Principis
Hæredis Brunſviaci,
&
Auguſtæ Sororis
Georgii tertii
Regis Britanniæ,
Decimo Sexto die,
Menſis Januarii,
Anno Domini, 1764.

SANGUINE Mars bellique tumultibus otia mutans
Adſtat ovans thalamis, Cypria Diva, tuis:

Caſſide depoſitâ cadit ira, et corda viciſſim
Ad ſua componit munera blandus amor.
Non tuba, non currus, non illi ſpicula curæ,
Victorem gratâ compede Diva tenet.
Sic modo Brunſviaci, Patruo duce, nominis Hæres
Fudit Galligenûm, Druſus ut alter, opes.
Jam belli ſatur et famæ potiora triumphis
Fœdera conjugii, qualia nectat Hymen,
Ambit ovans; tua enim facies atque inclyta virtus
Laurigerum accendit, Regia Nympha, Ducem:
Sat bello lachrymiſque datum; tibi magna merenti
Præmia militiæ, maxima donat Hymen.
Nobile Par! primos Brunſvici hic poſcit honores
Stemmatis, Angliaci Cæſaris illa ſoror.
Mutua plus ſolitis tanguntur pectora flammis,
Unus enim jungit ſanguis, et unus amor;
Cognatique patres, eademque ambobus origo;
Ille ſuæ dignus ſtirpis, et illa ſuæ:
Germanis tulit illa Duces, Regeſque Britannis,
Libera queîs populus jura tuenda dedit.

Culmine ſic gemino ſurgit Parnaſſus, habetque,
Digna Deis ſedes, culmen utrumque Deos.
Vivite felices! æternum nutriat ignem,
Quo jam veſtra calent corda, perennis amor!
Non ita gaudebant Britones, cum nupta rebelles
Henrico tandem junxit Eliza roſas.
Nec plus lætitiæ effulſit, cum Georgius alto
Conſortem accepit te, Caroletta, toro.
Brunſviacâ ſimilis frondeſcat ab arbore ramus,
Virgaque ſuccreſcens aurea ſemper erit.
Sponſe domum redeas; nec te nimis, optima virgo,
Pæniteat patrios deſeruiſſe lares:
Unde genus ducis, tellus tibi avita petenda eſt;
Pone metus generi tradita nympha tuo!
Dives aquæ geminum ſic fons diſcurrit in alvêum,
Didita diverſo flumine rura lavans;
Mox coeunt latices, amniſque meatibus auctus
Cognatas juncto vortice volvit aquas *.

* Hoc carmen, ſecundùm inſtitutum Scholæ Etonenſis, a Præpoſito Collegii ludendi veniam impetravit decimo ſexto die Menſis Februarii et Anno Domini 1764.

N° XXV.

Δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε.

Hom. Il. l. 17. v. 695.

DUM Fons nativas gaudet perrumpere fines,
Æſtuat anguſtis ripis, interque lapillos
Perſonat exultim ſtrepitanti murmure labens;
Mox ubi tranquillo dormit ſecurus in alvêo,
Nec pulſat terram, nec raucâ voce ſuſurrat,
Jucundum placido ſervans torpore tenorem.
Haud aliter rabies, mediocri accenſa dolore,
Stridet inexpletùm, ſtimuliſque furentibus ardet:
Aſt ubi ſecretis latet inflammata medullis,
Garrula contemnit querulæ ſolatia linguæ,

Mutá fovens vindictam, & diros ſuſcitat ignes.
Permiſtum eſt nobis vitæ cum lacte venenum:
Hinc curæ, hinc luctus, orituque miſerrima turba,
Quæ lacerant animum, & mœrentia pectora torquent.
At ſimul imbelles animas hæc ſpicula ſortis
Humanæ invadunt; ſi morbi, incendia, lites,
Aut urget ſævi lex imperioſa tyranni,
Sive immaturo moriuntur funere nati,
Tum graviter plorant luctu molliſſima corda,
Et linguæ ſimul horrendos ad ſidera tollunt
Clamores, lachrymiſque humectant grandibus ora.
Non ita ſuccumbit muliebri fortior Heros
Victima triſtitiæ, dedignaturque querelas
Prodere, & inſano nimium tabeſcere luctu.
Haud equidem egregium te muſa ſilebit Jobe,
Nec tua languebit præſtans conſtantia verſu
Illaudata meo, mentiſque virilis honores.
Quem neque terrifici confundunt fulmina belli;
Nec regna hoſtili gladio populata, nec uxor
Captiva, aut pueri vocem extorquere valebant.

Non hic in patriæ clades, vel funus amici
Indulſit lachrymam; temnit ſolatia luctus,
Abſtinuitque cibo pater, averſuſque refugit
Cuncta miniſteria, & noctis ſe condidit umbris.
Obvia mens furiis vaſtâ ſe mole coercet;
Clauduntur tacitæ ſecura repagula linguæ,
Dumque ſilent gemitus, ſtupet alto corde repoſtus
Immodicus dolor, & flammis latet acribus ignis.
Haud aliter Niobe, cum jam poſt funera prolis
Sola parens reſtat, ſolitas non ore loquelas
Indignata refert, lachrymaſve effundit inanes.
Torpeſcunt artus; pallet ſine ſanguine vultus,
Vaneſcitque color, penetraleque frigus ad oſſa
Intima permanat; nihil eſt in imagine vivi.
Labitur exanimis, penituſque in viſcera ſaxum
Permeat, arentique hæreſcit lingua palato;
Et lapis æternum ſervat per ſæcula nomen.

N° XXVI.

Sacer interpresque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus.

Hor. de Art. Poet. v. 392.

Ἦν χρόνος, ἡνίκ' ἀνὴρ καλὰ παιπαλόεσσαν ἄταρπον
Ὠμόφαγος κραδίην, ὡς Πολύφημος, ἔχων
Πλάζετο, οὐδὲ λύκῳ μαλακώτερος οὐδὲ λέοντος·
Καὶ κρέας ἀνθρώπων ἦν βόρα, αἷμα πόσις·
Οὐ πόλις, ἃ πύργοι χαλεπὴν εἴργοντο θύελλαν·
Γαῖαν ἅπασαν ἔχεν βαρβαρόφωνος Ἄρης·

Οὐδὲ χοροσασίη νύμφων γένετ', ἐδ' ὀαρισὺς,
᾽Αλλ' ὡς ἀφθόγγων χέλεα κλῆις ἔχεν.
Ἶδε Θεὸς, κ' ἐλεήσεν· ἄφαρ δὲ σοφώταλος ᾽Ορφεὺς
᾽Ιει μολπάζων ἱμερόεσσαν ὄπα·
Οὗτος τ' ἔθνεα πολλὰ πλανώμενα αὐτίκ' ἀγείρων
Τοπρὶν ἀνήκουσον πρῶτος ἄειδε μέλος·
Θέλξεν μὲν πολαμοῖο ῥόον, καὶ ἐν ὄρεσιν ὕλην,
Θῆρας καὶ θηρῶν ἄνδρας ἔτ' ἀγροτέρους·
Μελπομένω δύναμιν θηεῦντό τε θάμβησάν τε·
Χειρῶν ὅπλα πέσεν, καὶ χόλος ἐκ κραδίης·
Οὔδεις λευγαλέῳ ἔτ' ἐτέρπετο δηϊοτῆτι,
Οὐδ ἔτ' ἀποκλαμένους ἔσθιε δυσμενέας·
Αὐτὰρ ἀοιδόπολος λιπαρὰς ἴθυνε θέμιστας,
Πότνα δικαιοσύνης ἔργα διδασκόμενος·
Εὐνομία Θέμιδος θυγάτηρ ἄνα γαῖαν ἀνάσσει,
Τοῖς δ' ἐλάοσι δίκην ἀμφιλίθησι πέδας·
Κτιζομέναις πολίεσσιν ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσες·
᾽Ασοι ἀγειρομένοι νῦν διάγουσι βίον.
Χειροδόνους τε λιτὰς, σφαγίων καὶ δῶρα φέρουσες·
᾽Εσησαν βωμοὺς ἀθανατοῖσι Θεοῖς·

Πολλάκ' ἰοσεφάνοι μελιηδέα τέρψιν ἄρονλο
Παῖδες Παρθενίκαί τ' ἄνθος ὁμηλικίης,
Καὶ μὲν ἀγαλλομένοι κραδίῃ καὶ ϖνεύμαλα λωλῷ
Ποσσὶ ϖεριπλέκλοις συγκρολέϐσι ϖέδον·
Πολλάκις ἐἰλαπίνῃσιν ἐλίσσελαι ἔνθα καὶ ἔνθα
Ἐν κύκλῳ κρήτηρ μεσὸς ἐϋφροσύνης·
Γηθοσύνϐς τοκέες ϖαῖδας ϑαμὰ ἀμφὶ τράπεζαν
Ὣς ἐχάρησαν, ἑοῖς ὣς ἴδον ἐν μεγάροις·
Ταῦτ' ὦ ϖανδάμαλορ, Μϐσάων ὄρνεον, Ὀρφεῦ
Ἔσσετ' ἀπειρέσιόν σοι τελέσανλι κλέος *.

* Hoc carmen, ſecundùm inſtitutum Scholæ Etonenſis, a Præpoſito Collegii ludendi veniam impetravit quinto die Menſis Aprilis et Anno Domini 1764.

N° XXVII.

Triſte-maturis frugibus imbres.

Virg. Ecl. l. 3. v. 80.

Ὡς ἦλθον χ' Ἀροῆρες, ἐπισολάδην δὲ χιῶνας
Ἔσαλον εἶν ἀγρῶις λήια κοψομένοι,
Ἄλλοι δ' ἆυ δρεπάνας εἶν ἐλεδανᾶισι δέονλο,
Ἄλλοι δ' ἐς ταλάρυς ἀγκαλίδεσσι φέρον,
Ὤ μοὶ ἐγὼ σαχέεσσιν ἴδον πολύκαρπον ἄρυραν
Ὕδαλι λαβρολάτῳ πάνλοσε βριθομένην·
Καὶ σαφυλῆσιν ἴδον μέγα βολρυόδωρον ἀλώην
Χάρμαλα λευγαλέῃ λαίλαπι ῥιπλομένην·

Ἦ τάχα δὴ πάντων βοσκήσεται ὄσεα λιμὸς,
Εἰ πολαμοῖο ῥοαῖς κάρπος ὄλωλε χθονός·
Νῦν ὀλιγοδρανέων θνήξει σὺν βεσσι Γεωργὸς,
Πάντα πλέω λύθρῳ, πάντα πλέω πολαμῶν·
Καὶ παῖδας δακρύεσσι κινύρεται αἴλινα μητὴρ,
Ὡς ὀλοφυρομένη δύσμορος ὄρνις Ἰτύν·
Ἀλλὰ σὺ νῦν Ζηνὸς μεγάλῳ δάμαρ ὀλβιόδαιμον
Δὸς δ' αἰθρὴν κόσμῳ πανὶ πολυνεφέλην·
Εἰδ' ἄγε νῦν παῦσον γαίην ἐπιδευέμεν ὄμβροις,
Ἴλαθι τῶν μογερῶν ἀγρονόμων καμάτοις·
Χείμαῤῥοι πολάμοι συμβάλλετον ὄβριμον ὕδωρ,
Καὶ Ζεὺς ὔ σοργὴν ὐδ' ἐλεητὺν ἔχει·
Ἦμαρ ὀπωρίνῳ μὴ πέρθης ἔργον ἀρότρῳ,
Πᾶσ' οἶκος σέβεται, πᾶσά σ', Ἄνασσα, πόλις·
Χαῖρε Φάος· νῦν πάντοσ' ὐν ὐρανῷ αἰθριος Ἥρη,
Νῦν Ἀμητῆρες χερσὶ δαμᾶτε πόνον·

N° XXVIII.

Ἀλλὰ μάλ' ἐνδυκέως ἱκέτεω πεφιδήσεαι ἀνδρός.

Hom. Il. l. 24. v. 158.

Εἰ δὲ Θεὸν δύναλόν τε καὶ ἄφθιλον, ὅς μεν Ὀλύμπῳ
Ὑψικέραυνον ἔχων χειρὶ βέλος κραλέει·
Εἰδὲ καθεζομένην τε παρὰ θρόνον, ὡς Ἐλεηὺν
Ἔξοχα τῶν ἄλλων δὴ περὶ κῆρι φιλεῖ·
Καίπερ δ' εἰν ἀγορῇ σχολίας κρίνωσι θέμιτας,
Καὶ βροτοὶ ἠρανίην ἐκ ἀλέγουσι δίκην,

Οὐκ ὄρεσιν πολάμυς, ὲ γὴν ἀνέμιξε θαλασσῇ,
Αὐτὰρ ὁ πανδαμάτωρ μείλιχον ὄμμα φέρει·
Οὐ σκήπτει, καίπερ βλαφθεὶς, φθισήνορα βρονλὴν,
Ἀλλὰ Θεὸς ἐλέειν, ἠ κολέειν φιλέει·
Νῦν ἔπει ἐρανίην ἄνθρωπ' ἰνδάλλεο μορφὴν,
Ὡς ὀρθοῖς δέρκοις ὄμμασιν ἔργα Θεῦ,
Τὴν ἐλεημοσύνην ἔσσαι φρενὸς, ἀθανάτυ τε
Ἐκ Θεῦ εὐδαίμων μάνθανε μειλιχίην.
Εἰ κόσμυ Βασιλεὺς ἐλεαίρει, τίς κεν ὀφείλοι
Μήνιος ἐν θυμῷ νέρτερον ἔλκος ἔχειν;
Ἐσὶ λύκυ χαλεπῶς κρατερὴν ἐμμαξέμεν ὀργὴν,
Ἔν τε σιδηρείοις σήθεσιν αἷμα πίειν·
Ἔστ' ἀνδρὸς μαλακῶς θάλπειν γλυκερὴν Ἐλεηὺν,
Καὶ φιλέειν ἐχθρὲς εὐσεβέϊ κραδίῃ.
Οὐδὲ γὰρ ὲ βαρύμηνις Ἀχιλλεὺς ἐσὶν ἄτεγκτος,
Ὅς τὸ πρὶν ὠμήσης μαίνετο, ὥσε λεών.
Ὡς Πρίαμος πολιαῖς τε κομαῖς πολιῷ τε γενείῳ
Ἦλυθε, γῦνα βρέχων δάκρυσι, χεῖρα κύσας
Δεινὴν, παιδοφόνον, παύει χόλον· ἔκφυγεν ὀργὴ,
Καὶ ῥ' ἐλέῳ τήκει σῆθος ἔνερθεν ὅλον·

Οὐ γὰρ Ἀλέξανδρος δεινῷ σκληρυνεῖ Ἄρηι,
Ἀλλ' ἐλέῃ σπινθὴρ ἐν ϖραπίδεσσι ζεέν,
Ὡς ἦλθεν Στάτιρα Δαρίῃ τέκνον ἀλάσῃ,
Νῦν ὀφρῦς σχάζει, νῦν καλέπεψε κότον.
Οὐκ ἔτι μοιράων ϖύρσος μὲν ἅπανθ' ἁλαπάζει,
Ἀλλ' ἀνέφαινεν Ἔρως δαλὸν ἀναπλόμενος.
Ἐν ϖολεμῷ νικᾶν ἐσὶν κλέος ἀλλοπρόσαλλον,
Καὶ ῥὰ κυλινδεῖται ϖᾶν ϛροφάλιγι Τυχῆς·
Αὐτὰρ ϖρᾴύνειν θυμῷ μένος ὠμὸν Ἄρηι
Ἀνέρος ἰφθίμου γίγνεται, ἠδὲ Τυχῆς·

N° XXIX.

Caput Eſaiæ. XXXIV.

DESINE torpeſcens Orbis dormire veterno!
Conclamat Vates: Tellus exterrita ſomnum
Excute! Vos variæ Gentes diverſaque Regna
Audite, attonitaſque minis advertite mentes!
Siſtat uterque Polus ſtridentes axe procellas;
Compoſiti ſileant fluctus, nec torqueat æquor *
Amplius horriſonas diris clangoribus undas,
Dum Solymæ genus et ſtirpem execratur iniquam
Vox irata Dei: Jam formidabile fulmen,
Terribilique manu crepitantia concutit arma:
E latere abjecit vaginam, enſemque recluſit
Fatiferum, ingentem, radianti luce coruſcans,
Qui flagrat procul, et metuendos projicit ignes:
Aſpice, purpureo maduerunt ſpicula rivo,
Puniceo gladium nunc ſanguis inebriat æſtu †!

---

* Vide Oden Pindaricam Couleii, quæ hoc Caput Prophetæ liberè convertit in Angliacam Linguam, unde nonnullas imagines deprompſit Auctor hujus carminis.

† Sic רָוְתָה Rawthe in Hebræo textu ſignificat inebriari: Vide Buxtorfii

Aſpice, Idumææ ſudant pinguedine campi,
Et glebam fœcundat adeps, paſſimque per agros
Viſcera viſceribus miſcentur et oſſibus oſſa!
Solvuntur montes undanti flumine tabis,
Et fœdum corpus tetros exhalat odores.
Non tantum ante aras cadit hoſtia ſola juvencus,
Aut ovis, aut aries *; majora piacula poſcit
Non explenda Dei rabies, hominumque litanda
Eſt animis; nullo diſcrimine concidit omnis
Speſque ſimul, pubeſque, et totâ a ſtirpe propago.
Paupere cum turbâ Reges et Regibus orti,
Cum Servis Domini procumbunt; æqua ruina eſt
Omnibus, et nulli parcens vindicta Jehovæ.

Lexicon, vel Reineccii Januam Hebrææ Linguæ: Hoc verbo Septuaginta Interpretes utuntur, Ἐμεθύσθη ἡ μάχαιρα μȣ̃ ἐν τῷ ȣ̓ρανῷ. Καὶ μεθυσθήσεται ἡ γῆ ἀπὸ τȣ̃ ἄιματος. Eodem Latini; Inebriatus eſt in cœlis gladius meus—Adeò ut inebrietur terra eorum ſanguine. Im. Tremellius & Fr. Junius. Ed. 1661. Vertit Couleius,

How will the ſcarlet-glutton be o'ergorged with his food. St. 2.

Vertit Lowth,

The ſword of Jehovah is glutted with blood——
And their own land ſhall be drunken with their blood.

Malè Angliaca Verſio Veteris Teſtamenti;

For my ſword ſhall be bathed in heaven——
And their land ſhall be ſoaked with blood.

* Vide Couleii Oden. (ſt. 2. v. 9.)

Omnia cum pereant, tandem et Natura ruinam
Sentiet; immenſi pulcherrima machina mundi,
Quæ jam præfulget miro aſpectanda decore,
E fundamentis ſolvetur, ut aridus olim
Contrahitur liber, aut membrana areſcit in igne.
Jam benè diſpoſitus rerum delebitur ordo:
Quod dextra omnipotens mirandâ finxerat arte,
Concidit, ut folium vitis, vel ab arbore ficus.
Tum nec ſplendebit Titan, nec candida Luna,
Sed ruat occiduas nunquam emerſura ſub undas:
Sidera concurrent, atque aſtra cadentia ponto
Devolvent; miſto confligent turbine venti,
Congeſtoque rogo flagrabunt atria cœli:
Per deſolatas terras inamabilis Horror
Incedet paſſim exultans, dum certa ruinæ
Linea tendetur ſuper omnia: Flumina current
Igniferos liquidi volventia ſulphuris amnes:
Nec flamma ardentes iras defeſſa remittet,
Aſt ſemper vires redivivo aſſumet ab ævo.
Jamque ſedens Bubo canet importuna per umbras
Ferales ſtrepitus; iterabit ab ilice Cornix

Obſcœnum carmen; reſonantia monſtra Luporum,
Clamoſique Sues, atque agmina vaſta Draconum
Deſertos longo peragrabunt ordine tractus.
Amplius haud Cives miranda palatia Regum,
Nec delubra novis ſpectabunt alta columnis,
Aut circi ſplendens opus, aut ſublime theatrum:
Per plateas informis Aper, gravidæque Leænæ
Errabunt; illic Ibis, dominabitur illic
Vultur, et occultas undis petet Ardea turres.
Quin ſterilis tellus non ullo attrita nitebit
Vomere; ſed ſpinis ſurget paliurus acutis
In Regum foribus; per templi mœnia ruſcus
Accreſcet, condetque fori tabularia ſentis.
Hic ponent nidum Milvi, Vulpeſque cubabunt;
Hic Urſi infodient immunda cubilia: Tigris
Nutriet hìc Catulos; hìc culmina ſola reviſet
Noctua, et implumes pullos educet in aulâ.
Cerne Dei librum, et tacitus lege! Lingua Jehovæ
Hoc jubet; hæc ſacro collegit Spiritus ore.
Sic erit; æternoſque feris habitanda per annos

Terra, prius felix, ſeros monitura Nepotes, 70
Triſtia præbebit læſi monumenta Jehovæ.

N° XXX.

Κεφαλῆ Ἡσαΐᾳ Μ.

Ἐμοῦ παρηγορεῖτε τὸ λαὸ φρενὰς
Παρηγορεῖτε· νῦν λῦθεισ' ἀμαρτίας
Ὦ Σόλυμα χαῖρε, σοὶ γὰρ ἡ καλέρχεται
Θάλασσα ποινῆς, σὲ δὲ μένει διπλῆ χάρις·
Φωνὴ βοῶντος ἐν ἐρημίᾳ λέγει, 5
Τραχεῖς τε δρυμὸς, παίπαλά τε λειαίνετε,
Ὁμολὰ κέλευθα Θεὸ παρασχευάζετε·
Καὶ πᾶσα πληρωθήσεται κοιλὴ φάραγξ,

Ὁμῶς τε πᾶν ὄρος ταπεινωθήσεται·
Θεῷ τε δόξαν, φέγγος ἀγνὸν, ὄψεται
Σωτήριόν τε πᾶσα σὰρξ, ἔλεγεν Θεὸς·
Πᾶν σῶμα χόρτος, πᾶν τε σωμάτων κλέος,
Ὡς ἄνθος ἀγρῷ· χόρτος ἐξηραίνετο,
Ἄνθος τε φθίσετ', οὐκ ὁμῶς ἔπος θεῷ,
Οὐ γὰρ το νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ' αἰὲν μένει·
Σιὼν ἐπ' ἀκρὸν βαῖνε πρηώνων λόφον·
Ὕψωσον αὐδὴν· μὴ, Σόλυμα, τάρβος σ' ἕλοι,
Ἔς πάντας αὔδα, Κύριος Θεὸς πάρα·
Ἰδὺ μὲτ' ἰσχύος χερῶν προσέρχεται,
Φέρει τε μισθόν. ἕτος, ὡς ποιμὴν, τρέφει
Ἀγέλας, συνάξας ἄρνας εὖ βραχίονι,
Κόλπῳ τε μηρὰς, ὡς τιθήνη, βαστάσει·
Τίς οὐρανῷ γε τέρμα, τίς γαίης κόνιν,
Τίς χειρὶ πόντου κύματ' ἐνεμετρήσατο;
Τίς ὄρη σταθμοῖς ἔστησεν, ἢ νάπας ζυγῷ;
Τίς Κυρίου τὴν νοῦν ἐπαίδευσεν σοφός:
Τίς κρίσιν ἔδειξεν, ἢ φρονήσεως ὁδόν;
Γῆς εἰσὶ λαοὶ πάντες, ὡς σίτου σταγὼν,

Νήσοι τε σαθμοῖς εἰσὶν, ὡς μικρὴ κόνις.
Οὐκ εἰσὶ βωμῷ θῆρες, ἐκ ἱκανὴ πυρὶ
Λιβάνε μὲν ὕλη, καὶ βρο[ῶν ἅπαν γένος,
Ὡς ἐδέν ἐσι, κ' ἐδὲν εἰς λογίζεται·
Τίνα δ' εἰκάσωμεν ᾧρανῷ τὸν Κύριον;
Ὁμοιὸν αὐτῷ τίς βρέτας, τίς ποικίλη
Ἄγαλμα τεχνῇ δημιεργὸς τεύχε[αι;
Ἄκεετ' ἢ ἐκ ἄκεετ'; ἐ γινώσκε[ε;
Ἆρ ἐκ ἀνη[γέλη θεμειλίῳ χθονός;
Οὗτος κάθη[αι τῷ κύκλῳ γῆς, οἵκεται
Καὶ πάν[ες αὐτῆς εἰσιν ὥσπερ ἀκρίδες·
Οὗτος πε[άζει, λαῖφος ὥσπερ, ᾠρανόν·
Καὶ τὲς ἄνακ[ας καὶ μέδον[ας ἐδενὶ
Ἴσωσεν· οἵ δ' ᾠχον[α, καὶ καταιγίδι
Ὀφλισκανέσιν, ὥσε κάρφος, παίγνιον·
Τί[δ' ἔν ὁμοιὸν ἐκ[ύπωμα τῷ θεῷ
Νῦν εἰκάσησθε γ'; ὑψόθ' ὅμμ' ἀείρε[ε,
Βλέπε[έ τε Κόσμε πάν[α τίς ἐποιήσα[ο,
Τίς ἤγαγεν σράτευμα συγκρο[ούμενον·
Οὐδὲν λέληθε τὲ μεγασθενὲς κράτος·

Τί φῆς Ἰακὼϐ; λανθάνω τὸν Κύριον·
Ἆρ ἐκ ἀκϐέις, ἐχὶ γινώσκεις ϑεὸν
Τὸν αἰὲν ἄνλα τἀκρὰ ϖοιῆσαι χθονός;
Ὃς ἐτὲ κάμνων μαλθακῶς ἐυνάζελαι,
Οὐδ' ἀσθενεῖ· κ' ἐ φρενὸς ἐς' ἐξεύρεσις·
Αὐτὰρ δίδωσι τοῖς γερόνλων σώμασι
Νεότηλος ἀκμὴν, καὶ νοσῦσ' εὐρωσίαν·
Οἷς ἄνθος ἥϐης ϖρῶτον ἀκμάζει, κράτος
Τέτηκε, καὶ ϖᾶς εὖ νεάζων σφάλλελαι·
Ἀλλ' ὃς ϖεποιθὼς Κυρίῳ βιώσελαι,
Καίπερ χνοάζων ἄρλι λευκανθὲς κάρα,
Ἀλκῇ νεηκόνηλος, αἰελῦ δίκην
Πτέρυγας ἀείρων, καὶ τρέχει κραιπνοῖς ϖοσὶν,
Θεῦ τ' ὁδηγήσανλος ἔϖοτ' ἀσθενεῖ *.

---

* Hoc carmen, ſecundùm inſtitutum Scholæ Etonenſis, a Præpoſito Collegii ludendi veniam impetravit viceſimo quarto die Menſis Maii et Anno Domini 1764.

BRITISH 27 SEP 38 MUSEUM